



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

V. Interdicti, quamvis non nominatim excommunicati, ab Hospitalariis
possunt sepeliri, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

precibus inclinati, auctoritate apostolica tibi duximus indulgendum, vt si aliquando clericus de terra tuæ iurisdictionis super pecuniaria causa contra laicum ad nostram audientiam appellauerit, non nisi personis quæ de terra tuæ iurisdictionis sunt, & secundum legem & consuetudinem Veneticorum iudicare debeant, committamus: ita quod indulgentia nostra non debeat nisi nostro tempore durare.

C A P. V.

Milites templi Hierusalem, * sub tempore gratiæ noui ^{adde qui} Machabæi, abnegantes sæcularia desideria & propria relinquentes, tollentes crucem suam, & secuti sunt Christum, ipsi sunt per quos Deus orientalem ecclesiam a Paganorum spurcicia liberat, & Christiani nominis inimicos expugnat. Ipsi pro fratribus animas ponere non formidant: & peregrinos ad sancta loca proficiscentes, tam in eundo quam in redeundo a Paganorum incurfibus defendunt. Et quoniam ad tam sanctum & pium opus explendum eis facultates propriæ non suppetunt, præsentibus literis exoro, quatenus inde subleuetur eorum inopia, populum a Deo vobis commissum, collectas facere moneatis. Quicumque * de facultatibus a Deo sibi collatis, in ista ^{fauis} ^{de} secunda collecta se constituerint, eisque beneficium persoluerint per annum, septimam partem pœnitentiæ iniunctæ, confisi de beatorum apostolorum Petri & Pauli meritis, indulgemus. Si vero excommunicatus non fuerit, & eum mori contigerit, ei cum aliis Christianis sepultura ecclesiastica non negetur. Cum autem fratres ipsius templi, qui ad collectam destinati sunt suscipiendam, in ciuitatem, castellum, villam, aut vicum aduenerint, si forte locus interdictus sit, in iucundo eorum aduentu pro templi honore, & eorum S. militum reuerentia, semel in anno aperiantur ecclesiæ: & exclusis excommunicatis, diuina mysteria celebrentur. Quæ vero de non excommunicatis militum eorum fratribus sepulturæ tradendis, & excommunicatis in eorum aduentu exclusis semel in anno, a nobis statuta sunt, vobis mandantes præcipimus, vt per omnes parochias faciatis irrefragabiliter per omnia obseruari.

Idem